

**05**

**A**

**1910**





Σὺν Θεῷ.

THEMATA THEOLOGICA

De

*APHORISMO APOSTOLICO,*

SANGUIS JESU

CHRISTI, FILII DEI,

EMUNDAT NOS AB OMNI

PECCATO, 1. Joh. i. v. 7.

*In*

ACADEMIA WITTEBERGENSI

*ad publicam disputationem*

proposita

*à*

NICOLAO HUNNIO,

SS. THEOL. D. ET P.P.

RESPONDENTE

MARTINO WOLDERO,

Paswalcô-Pomerano.

*Ad diem 3. Maji, horis matutinis,  
in Auditorio Majore.*


---

Exscripta typis CHRISTIANI THAM,

ANNO M DC XXII.



05 A / 1970



In Nomine Jesu Christi,

Amen.

De

*Aphorismo Iohannaο,*

SANGUIS JESU  
CHRISTI, FILII DEI,  
emundat nos ab omni pec-  
cato.

*1. Epist. 1. vers. 7.*

THESIS I.

**J**OHANNES APOSTOLUS totum negotium redemptionis humanæ brevissimo aphorismo complectitur, τὸ αἷμα ἐν ᾧ Χριστὸς τὸ ὑἱὸν αἰῶνα (Θεὸν) καθαρίσει ἡμᾶς ἀπὸ πάντων ἀμαρτιῶν. *Sanguis Jesu Christi, Filii Dei, emundat nos ab omni peccato. 1. Epist. 1. vers. 7.*

2. Commendabilis sententia, à brevi, perspicuâ ac perfectâ comprehensione eorum, quæ de Christi passione, hujusq; fructu, nobis scitu ad salutem sunt necessaria; quam, (*quæ fidei dogmata confir-*

4 2

*met)*

met) perlustraturi, hæc quatuor considerabimus.  
1. *Emundationem.* 2. *Emundantem.* 3. *Subiectum emundationis, seu rem mundatam.* 4. *Sordes emundatione ablatas;* quibus absolvitur aphorismus Apostolicus:  
1. *emundat.* 2. *Sanguis Christi.* 3. *nos.* 4. *ab omni peccato.*

3. I. EMUNDATIO refertur ad hominem peccato pollutum, ad gratiam reducendum, ideò à peccatis prius liberandum: de quo termino hæc quatuor notanda sunt.

4. I. *Mundationem hominum à peccatis in hoc seculo fieri, quamvis in altero seculo peccatum quoad radicem, & suum materiale è naturâ hominis plenè tollatur & extirpetur:* duo enim distincta sunt, 1. peccatorum remissio. 2. eorum ex naturâ *eradicatio;* utraq; Sanguini Christi tribuitur; per Christum enim est culpæ remissio, quâ reatus tollitur, *Luc. 24. v. 26.* per eundem est labis & maculæ erasio, ut corpora resurgant ad vitam *Job. 6. v. 40.* Spiritualia, & ab omni impuritate totaliter liberata *1. Cor. 15. v. 43. Phil. 3. vers. 21.*

5. Dum igitur præsentem solùm vitam respicimus, peccatum non simpliciter aufertur, sed remittitur, sufficit tolli reatum, (qui est formale peccati) ut in divino iudicio peccatum reputetur pro nullo; in alterâ verò tollitur etiam labes (quæ est materiale peccati) Et Emundatio, quam Johannes dicit, est hujus vitæ, in alterâ plenè tollitur peccatum, etiam quoad materiale fundamentum, atq; radicem.

6. 11. *Pec.*

6. *II. Peccati emundationem, quatenus fit in hoc seculo, contingere per actum iudicialem*, quemadmodum enim reus ad tribunal pertractus, accusatur, convincitur, accedente intercesfore, & satisfactore absolvitur, peccatum remittitur, reatus tollitur, adeoq; delictum pro nullo amplius reputatur, manente interim hâc labe, quòd ipse delictum commiserit, similiter in iudicio divino homo peccator sistitur Deo iudici, conscientia peccati convincitur, ad inferos damnatur, interveniente Christo peccata hominum in se recipiente, expiante, delente, absolvitur reus, peccatum remittitur, reatus tollitur, & peccatum pro nullo reputatur, ut amplius damnationem nullam causetur, manente interim materiali, labe & maculâ, ac dispositione prava, quæ per hanc vitam è naturâ peccatrice non eruitur.

7. *III. Rectè igitur asseri, emundationem fieri per imputationem*, ut quemadmodum Christus factus est peccatum *2. Cor. 5. v. 21.* quatenus in ipsum omnium nostrum peccata fuere coniecta, *Esa. 53. v. 6.* ut tanquam peccator iram Dei, & infernales plagas reipsâ sentiret, *Psal. 22. v. 2. Matth. 27. v. 46.* id verò non aliter, quàm per imputationem; sic vicissim, quia deletio nostrorum peccatorum facta est in cruce, *1. Pet. 2. v. 24.* per Sanguinem Christi, *Heb. 9. v. 22. 26.* eadem nobis imputatur, & Sanguis Christi, suum meritum nobis tribuendo, à peccatis emundat.

8. *IV. Emundationem istam fieri vel ex parte solius Christi sanguinem fundentis, vel ex parte hominis emundationem istam fide acceptantis*; illa est meriti, hæc actus, potest enim meritum per incredulitatem & malitiam hominum impediri, quò minus suum effectum consequatur, quod tamen ipsi merito, aut promerenti sanguini Christi attribuendum non est.

9. Consideratur itaq; emundatio ista non ex parte hominis, neq; ex actu, & perfruitione ejus beneficii, sed ex impetratione, quatenus Sanguis Christi omnia peccata bonorum & malorum expiavit, sive expiatio ista grato animo acceptetur, sive per ingratitude repudietur.

10. Porro: vox *Emundationis* partim ex *communi linguâ* indicatur, partim ex *usu scripturae* generali, partim ex *usu legis Leviticae*, partim deniq; ex *peculiari loquendi modo* circa doctrinam de peccatorum expiatione: quem usum quadruplicem instar normæ usurpantes sequentia themata elicimus.

11. I. *Quisquis mundatur, antè fuit immundus*: in usu communi nemo jubet mundari pocula, nemo vestes, nemo domum, &c. nisi alicubi in hisce, subjectis apparuerint sordes abstergendæ, eluendæ: Nullus hominum in Leviticâ lege mundabatur, nisi qui peccato, rerum immundarum contactu, aut modo simili immunditiam sive moralem, sive Leviticam contraxerat: Neq; scriptura quidquam affirmat mundari, quod prius non fuerit pollutum; Ezechias jubet mundari domum Dei, 2. *PAR. 29. v. 5.*  
quia



quia eandem polluerat Achaz, *cap. 28. v. 24.* Naā-  
man Syrus mundabatur *2. Reg. 5. v. 14.* quia lepro-  
sus. *v. 1.* Et sic de exemplis cæteris. Neq; peculia-  
rem loquendi morem ullibi observat, quando de  
emundatione à peccatis verba fiunt: ut enim nemi-  
ni peccata remittuntur, nisi, qui eorum reatu obstri-  
ctus tenebatur; sic neq; à peccatis lotus, & munda-  
tus dici potest, nisi qui iisdem fuerat inquinatus;  
Hinc emergunt hæc dogmata.

12. *I. Emundare, in hac sententiã Io-  
hannis, non est, mundum declarare.* Placuit  
talis glossa Socino, *lib. de Christo Serv. Part. 2. cap. 19.  
pag. 172.* potissimum, quia mulier puerpera à fluxu  
sanguinis per sacrificium perhibeatur mundari, *Lev.  
12. v. 7. 8.* cum tantum munda declaretur.

13. Ridiculè: quasi i. mulier à sanguinis fluxu  
Physicè munda, protinus etiam sit munda Leviticè;  
contrarium vide, *Lev. 15. v. 6. 10. 13. 15. seq. 2.* Signi-  
ficatus vocis universaliter receptus protinus era-  
dendus sit, ubi unicus forsan locus ab eo recesserit.  
3. in aphorismo Johānnitico *emundare* significet  
*mundum dectarare*, quia hic terminus *Lev. 12.* ita usur-  
patur, & non potius *mundum facere*, quia is significa-  
tus in universâ penè linguâ & scripturâ est ordina-  
rius ac perpetuus, neq; ulla ratio ab eo recedere  
suadet.

14. *II. Quicumq; sanguine Christi à  
peccatis mundatur, is prius fuit immundus;*  
In hominibus gemina deprehenditur impuritas, u-  
na *originalis*, & per generationem contracta, *Job. 14.  
v. 4.*

v. 4. *Psal. 51. v. 7.* altera *actualis*, & per quotidiana delicta acquisita, *Esa. 64. v. 4. Matth. 15. v. 19. 20.* Quisquis ergò mundatur Sanguine Christi à peccatis, aut pollutus est solùm originaliter, aut solùm actualiter, aut modo utroq;

15. *Infantes*, quos etiam dicas actualiter nondum peccasse (cùm sint caro de carne nati, idcirco tanquam impuri, & naturâ filii iræ, ad regnum Dei non admittantur, *1. Cor. 15. v. 50. Ephes. 2. v. 3.* illorum tamen sit regnum cœlorum, *Matth. 19. v. 14.* huc verò nemo perveniat, nisi per Christum, *Act. 4. v. 12. Job. 14. v. 6.*) Christi Sanguine à peccatis mundantur, Ergò ab Originali, aut ab Actuali; non ab hoc, quia putantur infantes ab actualibus esse adhuc mundi; quare ab Originali.

16. Cadit igitur erronea Photinianorum opinio, ac si peccatum originale sit mera fabula, commentum, imaginarium, & confictum peccatum; quibus elogiis illud ornandum censuit *Smalcusius disp. 2. cont. D. Frantzium pag. 41. seq.*

17. *Adulti*, ad unum omnes immundicie originalis rei sunt; nullus igitur immundus est actualiter, qui non simul impurus sit originaliter: cùm enim horum etiam Salvator sit Jesus Christus, peccata illorum expians, sequitur, illos quoq; simul omnes immundos esse peccato, originali *Prov. 20. v. 9. Rom. 5. v. 12. seq.* Et actuali *Esa. 64. v. 6. Jac. 3. v. 2. Matth. 15. v. 19. 1. Job. 1. v. 8.* Ergò omnes sunt peccatores, Dei gloriâ destituti, *Rom. 3. v. 23.* Et legis maledicto subjecti *Gal. 3. v. 13.*

18. Cadit ergò Monastica Papistarum opinio de perfectâ legis impletione (*Bellar. lib. 4. de Justificatione*

*atione cap. 10. ) quâ stante, nihil invenit in homine Sanguis Christi, quod abluat; ut verè scripserit Apostolus, si circumcidamini, hoc est, justitiam in lege quæsieritis (v. 4.) Christus nihil vobis proderit, Gal. 5. vers. 2.*

19. II. *Nemo mundatur à sordibus contrahendis, sed tantummodo à contractis.* Nemo mente sanus unquam corpus suum hâc intentione lavit, ut illud mundaret ab impuritate, quam sibi postmodum conciliare posset, omnes verò, ut liberarent corpus ab immundicie ipsi adhærente: Sub Leviticâ lege nemo sive per ablutiones, sive per sacrificia, seu modos alios ab iis prævaricationibus, aut impuritatibus Leviticis mundatus legitur, quibus nondum sese polluerat, ut emundatio esset abstractio à peccatis, aut aliis Leviticè hominem inquinantibus: *Vide Lev. 5. v. 1. 4. 15. 17. cap. 6. v. 2. 3. &c.* Ubi constituuntur oblationes variæ, omnes tamen à peccato commisso emundantes, nullæ autem delicta futura, ne fiant, impediunt. Similiter leprosus non mundatur eo, quòd præmunitur, ne in posterum ipsum invadat lepra, sed ut tollatur ea, quæ jam jam corpus ejus infecit *Matth. 8. v. 3. cap. 10. v. 8. &c.* Pocula, patinæ, cæteraq; utensilia mundantur, ablatione pulveris & sordium, jam contractarum, non præsertione ab immundicie, quæ contrahi potest. Hinc dogma:

20. *Quando dicuntur homines per Sanguinem Christi mundari à peccatis, intelliguntur à peccatis commissis liberari, non autem*

*B* *tem*

*tem à committendis, ne fiant, abstrahi: Quamvis non inficiemur, peccatorum expiationem Sanguine Christi partam porrò causari etiam fugam delictorum, qualia prius, sive ex malitiâ, sive imprudentiâ & infirmitate fuerant commissa, ut in posterum, quantum fieri potest, eadem fugiamus; in formali tamen conceptu non est idem, à peccatis mundare, & à peccatis futuris abstrahere, atq; cavere, ne committantur.*

21. Cadit ergò Photinianorum error, sentientium, *Christi Sanguinem nos à peccatis mundare, quatenus Christus Sanguinem fundendo effecit, ut pristinam conversationem abnegantes, piè & inculpate vivamus.*

22. III. *Qui Sanguine Christi à peccatis mundatur, is ab OMNI peccato mundatur.* Immundities partis tribui solet toti, ut in eo, qui mundatur, nihil omninò relinquatur impuritatis; sic enim neq; vestes, neq; calices, patinæ, corpus &c. sunt munda, in quorum parte aliqua immundities est conspicua. Lex Levitica impurum pronuntiabat totum hominem, in cuius cute, vel unica postula diversicolor, aut in capite, vel barba, lepra germinaverat, *Lev. 13. v. 2. & 29.* Ideò leprosa judicabatur tota domus, in qua pauci quidam lapides infecti deprehendebantur *Lev. 14. v. 34. seq.* qui manu, aut digito morticinum tetigerat, totus immundus erat, *Lev. 5. v. 2. cap. 11. v. 24.* In Dei iudicio juxta moralem legem instituto, peccatum oculorum vel manuum, pedum, linguæ, &c. totum hominem maledictioni subjicit, *Deut. 27. v. 26. Gal. 3. v. 13.*

23. Vicissim, nemo Leviticè mundus est, nisi qui

qui nullâ impuritate inficitur; nemo à peccatis mundatus, nisi qui *totaliter* mundatur, ut nullâ sui parte sit impurus; qui enim totam legem servarit, offendat autem in uno, factus est omnium reus *Jac. 2. v. 10.* & maledictus, qui non permanferit in *omnibus*, quæ scripta sunt in libro legis, *Gal. 3. v. 10.* Ergò qui servarit totam legem, in uno autem deliquerit, impurus est & maledictus: Ergò qui vel ab uno delicto nondum est mundatus, manet impurus & maledictus. Inde dogma:

24. *Quicumq; per Christi Sanguinem à peccatis mundatur, ab omnibus omninò delictis mundatur.* Etenim, uno peccato pollutus, reus est totius legis, reus totius legis est maledictus, Ergò uno peccato pollutus est maledictus: Econtra, à peccatis mundatus non est maledictus, Ergò à peccatis mundatus, non est uno peccato pollutus.

25. Cadunt ergò errores Monastici & Pontificii, *Christum satisfacisse tantùm pro peccato originali, non pro actuali, satisfacisse pro culpâ, non pro pœnâ: & omninò post purgationem peccatorum per Christum factam, superesse peccata homini propriis operibus & passionibus expianda: Vid. Gregor. de Valent. tom. 4. disp. 1. quest. 22. punct. 1. pag. 412. seq. Coster. Enchirid. de mer. oper. ad object. 9. Bellar. l. 4. de pœnit. c. 3.* Etenim, qui non mundat à peccato actuali, neq; à pœnâ liberat, ut homini ipsi peccata eluenda & abluenda restent, is mundare falsò dicitur, relinquens emundandum delictis actualibus expiandis, nec non pœnis abluendis, & proprio merito delendis adhuc conspurcatum, quem, quis mundatum dixerit?

26. II. SANGUIS JESU CHRISTI FILII DEI. Efficiens his verbis notatur, *emundat à peccato*: duplex autem est agens, unum, ut *quod*, alterum, ut *quo*; Actiones tribuuntur *πρώτως* agenti ut *quod*, sunt enim actiones suppositorum; *δευτέρως* agenti ut *quo*; sic enim homo videt, sed oculo, Christus ægrotos sanat, sed manu, sputo, voce, &c.

27. Pari modo *Jesus Christus Dei Filius* emundat, sed *Sanguine*: Fit tamen non rarò, ut actiones primò competentes supposito, secundariò parti, vel organo, *inverso modo directim predicentur de agente secundario, obliquè de primario*, quod est suppositum: oculus animalis videt, dextra Domini fecit virtutem, &c.

28. Distinguentes igitur causam emundationis primariam à secundariâ, primùm expendemus suppositum, JESUM CHRISTUM, FILIUM DEI: Postea partem vel organum, SANGUINEM.

29. Tria in principali causâ notanda sunt. 1. *Nomen proprium JESUS*. *Luc. 1. v. 31*. Causam appellationis exprimit Matthæus huic Apostolico aphorismo correspondentem, *salvabit populum suum à peccatis eorum*. cap. 1. v. 21. Hinc dogma:

30. *Iesus Nazarenus est Salvator hominum*; neq; enim est in quoquam alio salus, nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. *Act. 4. v. 12*.

31. Explodimus ergò Judaicum errorem, *Jesum Nazarenum abominantem, tanquam seductorem pessimum, nullam proinde peccatorum expiationem ab ipso expectandam censentem*.

32. II. Co

32. II. *Cognomen.* CHRISTUS. Convenit nomen *χριστός* cum hebræo *משיח* utrumq; enim unctum significat. Ut verò Messias ungi debuit, non modò in regem, & prophetam, sed & in sacerdotem, qui in proprio corpore suo peccata nostra portaret, & expiaret, *Esa. 35. v. 4. seq. &c.* ita Jesus Nazarenus Spiritu Sancto unctus *Matth. 3. v. 16. Act. 10. vers. 38.* hoc ceu præcipuum officium suum animo prompto, imò, cum desiderio aggressus est, eoq; in salutem humani generis defunctus, in quem omnia competunt promissi Messiaë signa, ut de veritate officii illius dubitare non liceat. Hinc dogma:

33. *Jesus Nazarenus est Messias mundo promissus*: Improbamus verò geminum errorem Judaicum, 1. quòd *Messias promissus nondum venerit.* 2. quòd *ille non sit Jesus Nazarenus.*

34. III. Epitheton: FILIUS DEI. Filii dicuntur vel per *adoptionem*, vel per *generationem*; hi propriè, illi impropiè. Deus filios habet, eosq; vel adoptivos, uti sunt angeli, *Job. 38. v. 7.* & homines, *Rom. 8. v. 14. 15. Ose. 1. v. 10. Gal. 3. v. 26. &c.* quo sensu sunt Dei Filii, quicumq; gratiam adoptionis acceptant, de qua re nemo dubitat.

35. Singulariter verò Christus Jesus appellatur *Dei Filius*, sensu longè alio, quàm ullus alius hominum vel angelorum; quia est proprius filius, *Rom. 8. v. 32.* genitus filius *Psal. 2. v. 7.* Unigenitus filius *Job. 1. v. 18.* Inde dogmata:

36. I. *Christus est naturalis Dei filius.* Sic enim argumentamur: Quicumq; est Dei filius,

B 3 aut

aut est per generationem naturalis, aut per adoptionem adoptivus. Christus est Dei filius: E. aut per generationem naturalis, aut per adoptionem adoptivus. Atqui, non potest affirmari posterius, quia ratione adoptionis non est unicus, sunt enim plures, non est proprius, quia adoptio non facit proprios filios, non est genitus, nec primo-nec unigenitus; Ergò naturalis.

37. Unde hic profyllogismus. Filius proprius, genitus, primogenitus, unigenitus, non est filius adoptivus (igitur naturalis) illius patris, cui jam tum multi sunt adoptivi, Christus est Filius Dei, (qui multos habet adoptivos) proprius, unicus, &c. Ergò Christus non est filius adoptivus: Igitur naturalis.

38. Cadit ergò. 1. Photiniana censura, *Christum non esse naturalem Dei filium*. 2. Judæorum & Mahometistarum *κακοζήλια*, putantium, *blasphemiam in Deum esse abominabilem, si dicatur, habere filium*.

39. *II. Christus est verus essentialis Deus*. Is, cujus sanguis emundat à peccato, disertè & claris verbis appellatur **DEUS**; *Act. 20. v. 28. Spiritus Sanctus vos posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit PROPRIO SANGUINE*: Deus in principali significatione suâ accipitur, quatenus notat essentialem Deum, cœli & terræ conditorem, quem Christiani unicum Deum profitentur & colunt. *1. Cor. 8. v. 6.*

40. Deindè, *proprius sanguis* non est, nisi naturalis; etsi enim sanguis sacrificiorum legalium, Christi Sanguis forsan potuisset dici, ratione typi, quo



quo Christum præfigurabat, attamen, expressè negatur is fuisse *proprius* Christi Sanguis, siquidem is demum affirmatur *proprius* Christi Sanguis, qui in corpore & venis illius fuerat generatus, & à sanguine typico, tanquam alieno, contradistinguitur. Heb. 9. v. 12. 26. cap. 13. v. 12.

41. Cæterùm, ille *proprius* D E I Sanguis, est etiam *proprius* C H R I S T I Sanguis: inde argumentum. Is, cui sanguis ille, quo acquisita est Deo Ecclesia, est *proprius*, est verus & essentialis D E U S: Christo Jesu est Sanguis ille *proprius*, quo acquisita est Deo Ecclesia, Ergò Jesus Christus est verus & essentialis Deus. Atq; hæc de causâ primariâ Emundationis.

42. Secundaria sive organica Emundationis causa est, S A N G U I S Filii Dei. Nominato *sanguine*, totus passionis actus intelligitur, Synecdoche usitatâ; simili enim modo effectus expiationis peccatorum attribuitur *corpori ejus*, 1. Pet. 2. v. 24. *plagis, vulneribus & livori* Esa. 53. v. 4. 5. *fusioni sanguinis*, Matth. 26. v. 28. *Morti*, Matth. 20. v. 28. 2. Corinth. 5. v. 15. *morti & resurrectioni*, Rom. 4. v. 25. &c.

43. Circa *sanguinem* distincta notanda sunt. I. *Mira Sanguinis, & Filii Dei conjunctio*: Filius Dei, idemq; verus essentialis Deus, Spiritus est Job. 4. v. 24. Ideo nec carnem, nec ossa habet, Luc. 24. v. 39: quare nec sanguinem; proprio tamen sanguine emundat homines, eo scilicet, qui ex assumpti corporis vulneribus effluxit.

44. Demonstratur sic *arctâ naturarum in unam personam conjunctio*, ut quemadmodum homini sanguis

guis *proprius* est ille, qui non extra suam personam consistens, intra corpus ac venas ejus continetur; non minus Filii Dei *proprius* sanguis dicatur, qui intra hypostasin ejus receptus, assumpto corpore & venis illius continetur. Hinc dogmata:

45. *I. Unio hypostatica duarum naturarum in Christo adeò arcta est, ut jam non sint duæ personæ sed una persona:* non aliter, atque corpus exanime ἡψυχὸς μὲνον est, anima per mortem à corpore soluta, ἡψώσθητις est, hæc autem duo conjuncta efficiunt unicam hypostasin; ut enim sanguis hujus hypostaseos non est sanguis & quidem *proprius*, alterius personæ, ita sanguis hominis Jesu Christi, non est sanguis alterius personæ, & sanguis *hominis* Jesu Christi non est sanguis alterius personæ, quæ *Deus* sit, sed necessariò unius & ejusdem personæ, quæ simul Deus & homo.

46. Cadit proinde error Nestorii, & si qui alii cum ipso faciunt, sive directim sive obliquè, ac si *duæ in Christo essent personæ*, quemadmodum duæ sunt in illo naturæ.

47. *II. In Christi personà facta est talis naturarum unio, ut illæ suæ Idiomata & operationes invicem communicent.* Abluere & mundare à peccatis, non est humani sanguinis, sed solius Dei opus; attamen Christi sanguis abluit & mundat à peccatis. Ergò proprium Dei opus, est etiam humani sanguinis opus; Ergò talis facta est *Idiomatum* communicatio, sine quibus sanguis

guis humanus hunc effectum non edit, & *operatio-  
num*, quam secundi generis communicationem di-  
cimus.

48. Cadit proinde error Reformatorum, *quòd non sit facta communicatio Idiomatum, & operatio-  
num, ut divina natura agat divina, humana autem non nisi  
humana.*

49. *III. Regnum Christi non esse mun-  
danum.* Emundatio à peccatis est inter præcipua  
opera Messiae; hæc autem fit per *sanguinis fusionem*,  
non tantum, quæ in circumcissione & flagellatione  
facta est, sed imprimis, quæ in cruce; crux autem est  
supplicium abominabile, reddens suspensum male-  
dictum *Deut. 21. v. 23.* qualiter & Christus factus est  
maledictum *Gal. 3. v. 13.* Porro; sanguinis fusio to-  
tam passionem, vulnera, livorem, plagas & flagella,  
crucifixionem, mortem, &c. significat, ut superius  
indicatum; quo stante, regnum mundanum esse  
non potest, agnoscentibus Judæis hodiernis & ve-  
teribus, imò Christi discipulis *Luc. 24. v. 20. 21.* & ipse  
Dominus hujusmodi oppositionem instituit suæ  
passionis, & mundani regni, *Matth. 20. v. 28. non ve-  
nit filius hominis, ut sibi ministraretur, sed ut ministraret,  
& daret animam suam redemptionem pro multis.*

50. Stante igitur hoc dogmate, quòd sanguis  
Christi nos à peccatis mundet, evanescit stolidi per-  
suasio Judæorum, expectantium Messiam Domi-  
num politicum, & regnum ejus mundanum.

51. *II. Divina sanguinis operatio*: effectus fusi  
sanguinis divinus est, *peccatorum deletio & hominum ab  
illis emundatio.* In sanguine secundum legem omnia  
C munda-

mundari, & sine sanguinis fusione nullam (typicam) remissionem fieri, testis est ipse Deus *Lev. 17. v. 11. Heb. 9. v. 22.* sic neq; vera expiatio peccatorum absq; sanguinis fusione per Christum fieri debuit. Notanda hîc sunt. I. *quis* sanguis, emundationem operetur. II. quomodo.

52. *Prius* determinat superius considerata designatio personæ *Christi Jesu*; cuius sanguini tribuitur mundatio, sine mentione alijs sanguinis sive cooperantis sive ministrantis. Emundatio autem est totalis mundatio ab omnibus peccatis. Hinc dogma:

53. *Solius Christi sanguis à peccato mundat*; Quæcunq; causa sola in subjecto enunciationis ponitur, & de qua enunciatur effectus totus atque integer, ut in eo producendo alii causæ nihil relinquatur, ei soli effectus attribuitur. Sanguis Christi, ut causa emundationis, solus in subjecto enunciationis ponitur, & de illo enunciatur emundatio à peccatis, quæ in suo formali conceptu totam omnium peccatorum ablutionem significat, ut ad emundandum à peccatis, cuicunq; alii causæ nihil omninò superfit, Ergò soli sanguini Christi emundatio à peccatis tribuitur.

54. Cadunt itaq; sequentes errores. I. *Sanguinem Martyrum esse meritorium remissionis peccatorum.* Si enim Sanguis Christi à peccatis reddit mundos, Ergò à peccatis *omnibus*, (alioqui à Christo mundati, nihilominus forent immundi) Ergò post hanc ablutionem Christi sanguine factam nihil residuum manet peccati, quod Martyres suo sanguine expiare possint.

55. II.

55. II. *Flagellantes, suo quemvis sanguine à peccatis suis semetipsos emundare*; vi ejusdem consequentiæ; quia Christi sanguis non faceret à peccatis mundos, si autem aliqua sordes remanerent flagellationibus eluendæ, aut illæ sanguini Christi hoc in opere essent concausæ, jam totus effectus malè tribueretur Sanguini Christi, è quo tantum partialiter esset productus.

56. *Posterius elucescit, cum ex historiâ passionis Dominicæ, tum ex descriptione mortis ac passionis, nec non effectuum in genus humanum inde redundantium: juxta illam facta est à peccatis mundatio sanguinis fusione*; quatenus sanguis Christi emundat non intra corpus ejusq; venas permanens, sed extra corpus, emissione ac fusione; juxta *hanc* est λύτρον, hoc est, pretium redemptionis, expiatorium nempe, ac satisfactorium pro peccatis, à quibus homines mundat. Hinc dogma:

57. *Sanguis Christi satisfactorius est pro hominum peccatis*: obtinetur illud hoc argumento: I. Sanguis emundat, aut à peccatis futuris abstrahendo, aut remissionem peccatorum commissorum nunciando & confirmando, aut pro peccatis commissis satisfaciendo. Non à peccatis futuris abstrahendo, quia hanc non esse emundationem, jam fuit probatum; non remissionem nunciando & confirmando, nam neq; id emundare est, ut ostensum. Ergò satisfaciendo.

58. II. Quicquid datur per commutationem, & vice pœnæ, ut à peccatore tollatur pœna, & reatus illi non imputetur amplius, id pro peccatis sa-

C 2

tisfa-

tisfacit, & peccatorem à peccato mundat satisfaciendo; quemadmodum enim pro multâ pecuniariâ certam summam numerans, debitorem à peccato purum & mundum præstat, & à pœnâ liberat, utique satisfaciendo; ita sanguis victimarum Leviticarum acceptabatur à Deo pro sanguine peccantis, & qui sanguine hircorum ac vitulorum à peccato mundabatur, pro eo sanguis iste satisfecerat, ut Deus pœnam peccanti non infligeret, eumq; in gratiam reciperet; non aliter ergò Sanguis Christi in remissionem peccatorum fusus ab illis mundat homines, per satisfactionem, quatenus loco sanguinis proprii, quem ab unoquoque peccatore poscit Deus, acceptatur, interim reus dimittitur ac si nunquam peccasset, aut certè pœnâ æquivalente judici satisfecisset.

59. Improbamus igitur errorem Photinianum, quasi *Christus suo sanguine pro peccatis nequaquam satisfecerit*, sed tantum à peccatis, ne amplius committantur, abstrahat, & commissorum remissionem nunciet, atq; confirmet.

60. NOS: Emundationis *subjectum* est, quod Sanguine Christi à peccatis purificatur. Ut constet, quisnam hoc pronomine notetur, initiò præsuppositum volumus, nullam aliam creaturam designari, quàm *homines*, etenim loquitur homo in toto textu de hominibus, ad homines, nec ulla ratione alii Enti hic sermo potest accommodari; quemadmodum & per totam scripturam soli homines meriti ac beneficiorum Christi participes pronunciantur; id quod extra dubium.

61. De-

61. Deinde; ad duas personas respiciendum est, unam, *que loquitur*; & alteram *cui loquitur*; ab illis enim desumendus est conceptus obscure notatus voculâ *Nos*.

62. *Loquens* est Apostolus Johannes, in quo hos speciales conceptus deprehendimus; 1. Homo. 2. Peccator. 3. Christianus. 4. Electus. 5. Discipulus Christi. 6. Apostolus.

63. Hinc iste processus: Johannes pronomine *Nos* intelligit 1. aut solos Apostolos, 2. aut Christi discipulos. 3. aut electos. 4. aut Christianos. 5. aut peccatores. 6. aut deniq; homines.

64. *Non solos Apostolos vel Christi discipulos*; in eo enim nolumus multum laborare, nemo affirmat contrarium, è quo secuturum esset, præter 70. discipulos *Luc. 10. vers. 1.* & duodecim Apostolos neminem per Christum salvari.

65. *Non solos electos*, quia etiam non electi Sanguine Christi mundantur *Heb. 10. v. 29. deteriora supplicia meretur, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est.*

66. *Non solos Christianos*; præterquam enim, quòd filium Dei conculcantes nomine Christiano digni non sunt, *Christianos* intelligimus, eos fideles, qui post Christum exhibitum in Ecclesiâ vivunt; si hi soli intelligerentur, & quia Christianus ad Christianos loquitur, etiam de illis solis verba facere, legitima consequentiâ inferretur, quidni pari progressu, cum patres ante Christum natum sic fuerint locuti, *languores NOSTROS ipse tulit, peccata NOSTRA ipse portavit* &c. *Esa. 53. v. 4. Posuit Dominus in*

*ipso iniquitatem omnium NOSTRUM* vers. 6. inferretur? quæ de Messia fuerunt locuti, ad solos Veteris Testamenti patres spectare, non ad homines Christianos.

67. Quia verò idem hoc Christi beneficium sibi tribuunt Christiani, ad Christianos loquentes, idemq; sibi tribuunt Veteris Testamenti patres, ad sui temporis homines loquentes, Ergò illud ad Christianos spectat, non exclusis antiquis patribus, ad patres, non exclusis Christianis.

68. Unde sequitur, peccatores & homines (æquè latè patere utrumque terminum multis affirmat scriptura *Rom. 3. v. 23. Gal. 3. v. 22.*) comprehendendi particulâ *Nos*; sive, Johannem de se & Christianis, ad quos scribit, loqui, *quatenus sunt homines & peccatores*; cumq; firmâ consequentiâ procedatur à *quatenus ad omne*, sequitur, omnes homines, eosq; peccatores, sanguine Christi lavari & mundari, sine discrimine testamentorum, fidei, aut incredulitatis, electionis, aut reprobationis, &c. quo sensu Spiritus Sanctus passim loquitur. Inde dogmata:

69. *I. Christus suo sanguine expiavit peccata non tantum Christianorum, & qui post ipsius adventum vivunt, sed etiam patrum, qui ipsum expectarunt venturum*: quâ enim phrasi Christiani gloriantur, se à peccatis mundari Sanguine Christi, eâdem Patres sibi gratulati fuerunt super eodem beneficio, quòd vulneratus sit propter iniquitates ipsorum, & attritus propter ipsorum scelera, & ejus livore ipsi sanati sint, *Esa. 53.*



*Esa. 53. v. 5.* Unde Apostoli non dubitarunt affirmare, etiam Patres per gratiam Domini Jesu Christi fuisse salvatos, *Act. 15. v. 11.*

70. Expirat proinde error Photinianus, quòd *Christi officium nil spectet ad eos, qui non attigerunt vivendo tempus prædicationis Christi*, ut ejus informatione & doctrinâ viam salutis non addidicerint.

71. *II. Christus suo Sanguine emundavit à peccatis non tantùm electos, sed etiam reprobos, hoc est, omnes homines*: duo sunt hominum genera, unum perseveranter fide-  
lium & electorum, alterum infidelium & reproborum, qua utraq; classe totum humanum genus continetur, ut extra illas nullum reperiatur humanum individuum: ut qui pro reprobis pariter, & electis, credentibus, & incredulis, est mortuus, is hoc ipso pro omnibus hominibus mortuus affirmetur.

72. Et quidem, de credentibus & electis nemo dubitat; quòd verò reprobos Sanguis Christi laverit, inde fuit probatum, quia reprobi, & infideles Sanguine Christi perhibentur *sanctificati*; *Heb. 10. v. 29.* id quod Paulus confirmat *Róm. 14. v. 15.* *noli cibo tuo fratrem perdere, pro quo Christus est mortuus* *I. Cor. 18. v. 11.* *peribit in tua scientiâ frater infirmus, propter quem Christus est mortuus.* Et Petrus *2. Epist. 2. v. 1.* *magistri mendaces, Dominum, qui emit eos, negant, superinducentes sibi celerem interitum.* Concluditur, Ergò Christus suo sanguine emundavit omnes homines.

73. Improbamus itaq; errorem Reformato-  
rum, qui mundationem Christi sanguine factam ad solos  
fideles

*fideles & Electos restringunt, reprobis ac pereuntibus Jesum Salvatorem missum inficientes.* Quamvis enim *actus* emundationis non nisi ad fideles pertineat, omnibus tamen communem esse Christi *gratiam* emundantem, asserimus. Undè (quantum est ex parte Christi) omnium hominum facta fuit emundatio, quam thesis antecedens probavit.

74. IV. AB OMNI PECCATO. Duo autem hic notamus 1. *impuritatem*, à quâ Christi Sanguis mundat 2. *Epitheton* isti additum atq; impositum.

75. *Prius est peccatum.* Peccatum est quævis *inopria* 1. *Job. 3. vers. 4.* cumq; adversetur divinæ legi non modò pravus actus sed etiam verba, & cogitata prava, nec non inclinatio naturalis ad malè agendum, utiq; *omne legi oppositum*, quocunq; nomine veniat, sub *peccati* titulum cadit.

76. Aliud est *peccatum*, aliud, *civile delictum*; utrumq; divinæ legi adversatur, sed hoc ut Remp. turbans & proximum lædens, illud ut Deum, universalem omnium humanarum actionum, legislatorem & judicem ejusq; animadversionem incurrens, atq; hoc est, à quo Johannes ait homines mundari: & consequenter ab omnibus effectibus & consequentibus liberari, cujusmodi sunt, ira Dei, legis maledictio, conscientiae angor, condemnatio, in gehennam præcipitatio. Hinc dogma:

77. *Beneficia Christi non tam sunt mundana & corporalia, quàm cœlestia, ac spiritualia.* Plus est anima quàm corpus, non modò ra-

dò ratione essentialis dignitatis ac prærogativæ, sed inprimis, quòd corporis vita exiguum punctum durat, *Psal. 39. v. 6.* cum animæ vita sit æterna, hinc æstimata corporis, & præsentis vitæ felicitas nihili facienda ad æternam, & spiritualem animæ prosperitatem: cumque Messiaë beneficia in summis, quæ homini contingere possunt, meritissimè numerentur, magis animæ quàm corporis bona ab illo sunt expectanda; in illis utiq; primum quasi, & fundamentum cæterorum est *peccatorum deletio*, cum iis enim omnia mala spiritualia & animam affligentia evanescent, & omni felicitati locus conceditur.

78. Improbamus itaq; errorem veterum atq; recentium *Judeorum, expectantium Messiam non nisi politicum à corporali servitute, cui modò subjiciantur, liberaturum*; quo sanè exiguum honorem Messiaë deferunt, officium ejus magnoperè extenuant, & post hanc caducã vitam futuræ felicitatis spem omnem mortalibus præscindunt.

79. *Posterius*, est nota universalitatis **OMNE**, *ab omni peccato*. Quæ genuina & vera significatio sit ejus vocis, publicè notum est; ab illa, ut in hac sententiã Johannæâ discedamus, nulla nos causa movet, multò minus necessitas urget; intelligimus ergò, *QUÆVIS peccata*, nullo prorsus excepto, Sanguine Christi ablui, & homines ab omnibus, nullo planè excepto, mundari; Elicimus indè præcipua fidei nostræ dogmata:

80. *I. Christus suo merito nos liberat ab omni peccato, cujuscunq;* tandem illud sit

**D**

*nomi-*

*nominis. Peccati duo sunt genera. 1. Originale. 2. Actuale; atq; hoc vel mortale, vel veniale: Utrumq; inchoatum, aut perfectum; nullum ullo jure aut prætectu è termino universalis ( omne peccatum ) excludi potest, quin ab omnibus nos Christi sanguine mandari, intrepidè asseveramus.*

81. Rejicimus ergò errorem Pontificium atque monasticum, quasi *Christus tantùm liberavit à peccato originali non ab actuali, à mortali non à veniali &c.* pro actuali autem eoq; veniali, unicuique hominum pro seipso satisfaciendum, vel satisfactionem à sanctis, aut monachis petendam.

82. Certum quippe argumentum est; qui emundat ab omni peccato, is ab actuali pariter, & originali, à mortali & veniali, inchoato, & perfecto emundat: vicissim, qui non ab actuali, non à veniali, non ab inchoato liberat, is falsò ab omnibus emundasse laudatur. Christi sanguis emundat ab OMNI peccato, Ergò ab actuali, veniali, inchoato, &c. aut, si hoc non præstitit, falsum testimonium perhibuit Johannes scribens: *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab OMNI peccato.*

83. II. *Nullum peccatum est ( quantum ex parte Christi ) simpliciter irremissibile.* Ut peccata sunt remissibilia credentibus, ita nullum peccatum potest remitti infidelibus; hoc autem non ex Dei beneplacito, non ex defectu passionis Dominicæ, aut virtutis ejus, vel denegatione necessariorum mediorum salutis sed ex reluctantiâ subjecti, gratiosam Domini actionem non admittentis.

84. Pec-

84. Peccatum in Spiritum Sanctum *irremissibile* pronunciat Christus *Matth. 12. v. 32.* quaeritur: *annè Christus pro illo satisfecerit?* Decisionem habemus luculentam: Sanguis Jesu Christi emundat nos ab OMNI peccato: Quicquid peccatum est, ab illo sanguis Christi emundat hominem, peccatum in Spiritum Sanctum est peccatum. Ergò à peccato in Spiritum Sanctum Sanguis Christi emundat hominem.

85. Improbandum itaq; error est eorum, qui censent, *Christum pro peccato in Spiritum Sanctum non satisfecisse.* Etenim hoc universale Johannis pronunciatum proinus efficeretur particulare, quod salvâ pietate non licet.

86. Neq; cum iis faciendum, qui negant, *Christum à finali impœnitentia homines mundasse.* Si enim hæc impœnitentia peccatum est, utiq; expiata à Christo; qui namq; *omne* peccatum tollit, is & impœnitentiam: interim non attendimus circumstantiam, quòd hæc impœnitentia *finalis* est, siquidem illa non est peccatum, sed tantum peccati circumstantia; ut hætenus non possit aliter judicari de impœnitentiâ finali, ac de illâ, quæ finalis non est.

\* \*  
\*

D 2

Pro-



*Præstantissimo ac Literatissimo*

**Dn. MARTINO WOLDERO,**  
RESPONDENTI.

**N** *Ascimur immundi de immundo semine Mundo,  
Immundi in Mundo vivimus ante DEUM:  
Jam nihil immundum cœlestia regna subintrat;  
Nec quod nos mundet crimine Mundus habet.  
Solut nos sanguis peccato mundat ab omni,  
Quem fudit CHRISTUS FILIUS ipse DEI.  
Id monstraturus scandis, MARTINE, cathedram,  
Defendisq; datas non sine laude theses.  
Perge διδασκαλία simul atq; incumbere ἐλέγχῳ,  
Fies Theiologi non mala Idea boni.*

A. E.

*faciebat*

M. ÆGIDIUS HUNNIUS,  
Phil. Facult. Adjunctus.


**F I N I S.**

05 A 1910

ULB Halle

3

003 784 967




1077  
64.









Σω Θεω.

THEMATA THEOLOGICA

De

*APHORISMO APOSTOLICO,*

SANGUIS JESU  
CHRISTI, FILII DEI,  
EMUNDAT NOS AB OMNI  
PECCATO, 1. Joh. i. v. 7.

In

ACADEMIA WITTEBERGENSI

*ad publicam disputationem*

proposita

à

NICOLAO HUNNIO,  
SS. THEOL. D. ET P.P.

RESPONDENTE

MARTINO WOLDERO,

Pafwalcô-Pomerano.

*Ad diem 3. Maji, horis matutinis,  
in Auditorio Majore.*

Exscripta typis CHRISTIANI THAM,

ANNO M DC XXII.